

(r) Galen.
Libr. de con-
suetud.

Medicos hæc omnia parvi facientes; raro ægris fausto successu opem allaturos; aut aliquandò ipsos miserrimè jugulatos; ut contigit Ario Peripatetico, (r) qui cum ex potu levissimè refrigerato singultu statim corripere, nunquam ausus fuisset frigidulam aquam gustare; tandem febris occupatus, à Medicis præter consuetudinem coactus potu frigidæ uti, subito fuit exanimatus.

V.

* De his vide
plura apud Il-
lustriss. D. De
Buffon, Hist.
Natur. in-4.
Tom. 11. p.
570. &c.
(a) Aph. 50.
sect. 11.

EX his deducere pronum est, quàm nociva sit uniformis consuetudo, quàm è contrariò utile à juventute assuescere indiscriminatim ad omnia ciborum genera*, sive ex vegetali sive ex animali Regno deprompta; & ut consulit Hippocrates, (a) δει ἐν τῷ ἐς τὰ ἀσυνήθεια μεταβάλλειν. Inueta enim semper vitare homini prorsus impossibile, ob inopinatas rerum fortes quibus subijcitur. Cavendum tamen ne à longo tempore consueta subito deserantur, præsertim in adultis, novumque vitæ genus derepentè instituat. Satis patet quantum exindè periculum immineret. Neque enim ab aère graviore v. g. ad levem etiam si salubriorem, vel à nimio labore ad otium transire tutum est: nec nisi paulatim fieri debent mutationes illæ, quæ quidem in ætate senili vix locum habere possunt. Itaque (b) sanus homo qui & bene valet & sua spontis est, nullis obligare se legibus debet.... Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, modò in urbe, sæpiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere.... Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti; modò ungi, modò id ipsum negligere, nullum cibi genus fugere quo populus utatur, interdum in convivio esse, interdum ab eo se retrahere, modò plus justo, modò non amplius assumere.... Concubitus verò neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est. His legibus obsequentes longam jucundamque ducent vitam; & ut canit elegantissimus Poeta (c):

(b) Vid. Cels.
Libr. 1. cap. 1.

(c) Vanier,
Præd. rustic.
Libr. 18. p.
288.

*Læto nec plumbeus Auster
Languidulos affigit; iners nec Bruma, nec Æstas
Ulla nocet: nec membra ligant nodosa podagra:
Non stomacho gravis esca: febrem non lethifer afflat
Autumnus.*

Probè tamen hîc annotandum omninò à Diætâ ableganda esse quæcunque ex Regno minerali deprompta, muriaticum salem si excipias; nulla enim ipsis inest cum corpore analogia. Idem dicendum de vegetabilium animaliumque speciebus, horumque partibus quibusdam, quæ semper maximè nocivæ deprehenduntur, aut quæ succorum digerentium ἐνέργειαν eludentes, in chylum sanguinemque immutari nequaquam possunt. Ablegandi pariter liquores ardentes quicunque, totidem enim venena sunt quibus, frustra reclamantibus Medicis, lentè consumitur magna pars hominum. Quàm infelices qui iis abuti jam consueverunt! His tamen sæpè, in morbis etiam gravissimis, indulgendum esse testantur varia Medicorum acta (d). Cum igitur tum alimentorum jucunditas, tum iisdem utendi consuetudo indicent corpori magis esse affinia, adedque cæteris præstare, meritò concludendum videtur,

(d) Vid. ce-
leb. Monro,
Ess. is d'Edimb.
Tom. VI. pag.
31.

Ergo cibus deterior, sed jucundus & assuetus; meliori, sed ingrato & inassueto, potior.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-ANNA LAVIROTTE;
Æduensis, Doctor Medicus Mospeliensis, Regius Librorum Cenfor, necnon
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quintâ
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LI.

M. URBANO DE VANDENESSE, Doctore
Medico, Præside.

An Æstate, sanitatis tutela Balneum in flumine?

I.



ANITAS, illa organorum corporis humani dispositio, quâ omnes & singulæ functiones ritè ac constanter peraguntur, delicatulam noscenti partium texturam verè miraculum est: servet qui præstans illud à naturâ mutuatus est donum; lugeat qui viribus propriis nimium fidens, & à rectâ vivendi normâ devius hoc amisit fortasse nusquam recuperandum. Quis numerosam morborum cohortem imperterritus aspiciet, morbique causarum Iliadem serenâ fronte scrutabitur.

A

Errent homines excessu vel defectu stat æquale periculum. Plurimi epularum; Bacchi, Venerisque victimæ procumbunt, dum multos torquet rigida nimis abstinentia, improbo labore franguntur isti, ignavo illi torpescunt otio, vigiliis concidunt quorundam vires, longiori somno cæteris hebetatur sensuum acumen; huic malorum segeti, sanitati non infesta minis addas animi pathemata. Aeris ambientis dotes interroga, potentiolem ac omnibus communem morborum reperies causam; Quid mirum? cæteris rebus non naturalibus longè magis corpori necessarius aer, ipsum alternis vicibus frequentiori inficit labe; æstu, frigore, ventis, imbribus inordinatè sævit, hujus mutationum fit sanguis facillè particeps, pro variâ ipsius conditione alteratur diversimodè. Præcipuas quæris in aere mutationes? Præstò sint quatuor anni temperatae, Hiems, Ver, Æstas, Autumnus, quæ licet suam sanitati symbolum ferant, peculiare sibi nihilominus morbi germen secum adducunt; cætera inter animantia morborum injuriis magis obnoxia vivit gens humana, quam continuò obli- dent animo & corpori affectus proprii, vel utriusque communes. Tot malis lacessitæ quid restet solatii, benignam ni Medicina ferat opem, erigatque titubantem; hæc auxiliatricem dum ægrotanti porrigit manum, & è feracissimo materiae Medicæ promptuario curativa trahit præsidia, pari vigilantia quærit & prophylactica; horum ope Medicus morbos sanat præsentem, arceat instantes, prævidet futuros ac præcavet; quid cuique temperamento, ætati, sexui conveniat gnarus ille hominum vitæ tutor, diversa pro anni tempore remedia præscribendo, hanc à morbis incolumem servat.

I I.

QUOSLIBET morbos quolibet tempore fieri posse & exacerbari constat ex Hippocrate (a). Attamen ut quæque suos fert ætas affectus, sic cuique anni quadra familiares excitantur morbi; repentinâ aeris mutatione corpus impunè affici ne credas, vere etenim aliundè saluberrimo repentè fit aer, ut ita dicam, ex frigido tepidus, movetur transpiratio, partim extrâ non promovetur; hinc, ex Celso (b), tum lippitudines, pustula, profusio sanguinis, abscessus corporis... bilis atra quam melancholicam appellant Græci, morbus comitialis, angina, gravedines, destillatio- nes oriri solent, &c. Vernum tempus excipit æstas prædictarum sæpè non exerts affectionum; tunc perpendicularares sol radios in terram vibrat, adaucto aeris calore agitantur humores, amplo diffluit sudore corpus, siccatur sanguineus latex, & magnam utilis substantiæ cum sero secedentis jacturam patitur, difficiliùs per vasa fluit, æstuat bilis novas paritura tragædias. Hinc febres (c) ardentes vel continuæ, vel tertiana, ulcera oris, cancro... & quidquid sudore hominem resolvit. Nec dira minus invehit infortunia autumnalis alterna frigoris & caloris vicissitudo; hinc febres (d) incerta, lienis dolor, aqua inter cutem, tabes, urina difficultas, lienteria. Idem- que tempus (Autumnus) & diutinis morbis fatigatos, & ab æstate proximâ oppres- sos interimit & alios novis morbis conscit, & quosdam longissimis implicat, maxime- que quartanis qua per hiemem exercent. Vigent variolæ vel benignæ vel malignæ, quæ si antiquis notæ non speciali caractere fuerunt designatæ. Vexant intestina dysenteria, leguminum fructuumve facillè putrescentium frequentioris elus soboles. Autumno succedit Hiems, tunc, duro sæviente gelu, furit nervis inimicus Aquilo, cutis stringuntur spiracula, difficilis admodum transpiratio, ineluctabilis hujus ad interna refluxus; hinc capitis (e) dolores, tussim & quidquid in faucibus, in lateribus, in visceribus mali contrahitur irritat. Sic ergò cognitis morborum cuique anni tem- pestati propriorum causis, quid hisce delendis sit agendum suadet praxis ratio- ni consona, sitque firma lex, Brumâ rigente liberum transpirationis effluvium om- ni nisu conciliare, hujusque refluxum medicamentis leviter diaphoresim maven-

(a) Aph. 19. Lib. III.

(b) Cels. Lib. II. cap. 3.

(c) Ibid.

(d) Ibid.

(e) Ibid.

tibus impedire, æstate verdè humorum fervorem compescere, sanguini vehiculum fervare, rigidiores vasorum laxare fibras, laxiores stringere, & ita liquidorum ex- peditionem præstare circuitum. Huic operi perficiendo nihil balneo in flumine aprius existimes, hæc emolumenta ab aquæ fluvialis naturâ, pondere, motu, humiditate, ac frigiditate speres.

I I I.

BALNEUM in genere est corporis in aquâ lavatio, hanc ablutionem mun- ditiei causâ primùm inventam, ad Medicos usus posthæc delatam fuisse nar- rant antiquiores Medicinæ scriptores. A balnei perspectâ utilitate hujus adhiben- di emerit diversitas. Hinc totale quo totum, excepto capite, lavatur corpus, par- tiale quo crura pedesve tantùm abluuntur, semicupium pediluviumve appellant. Domi paratur calidum vel tepidum in quo per unius, alterius, pluriumve ho- rarum spatium sedere est; in tali dormiebat magnus Alexander dum febre labo- rabat (a). Thermale dixeris quo totum corpus vel pars quædam aquâ thermali, vel ejusdem luto immergitur, vel denique ex altiori loco deciduâ irrigatur, stillicidium voces vulgò (Douche). Aliam balnei speciem mare subministrat, maximum hydrophobis præsidium quo totum corpus marinis immergitur aquis. Hæc autem morbos ad edomandos inventa ægros decent, licet sanos non offen- dant. Valentibus, in arenoso, limpidoque flumine præstat balneum cujus omnia ad sanitatem concurrentia bona, ita per se patent ut enarrari sufficiant, non proba- ri indigeant. Alia ipsi propria, aquarum sinceritas, levitas, perennisque motus, multa cum cæteris communia. Aquam humiditate duriora penetrare corpora plu- rimis evincitur experimentis, quàm faciliùs ergò ista, balneantium per cutis poros, ad intima usque propellitur? Hæc pigros ac inertes corporis succos putredini pro- ximos commovet, igneos ac inquietos frænât; pondere premuntur solida, pressa majorem vim in fluida exercent, attenuant, ipsorum motus juvant; secernenda vacuantur, fluxilior facta bilis nullas in colatoriis experitur moras, non metuenda proindè in hepaticis vasis concretio melancholicorum affectuum parens. Quot præ- terea appellant ad cutem guttulæ? Quot cuneorum ad instar per porulos infi- guntur altiùs permeaturæ, dum validior fibrarum tonus humores conquassat? Solvitur ergò, si quæ sit crassior sanguinis compages, viscosa diluitur vasorum parietibus impacta materies, ad glandulas fit liber aditus, amplior urinæ flu- xus, alvinarum fæcum exoneratio faciliior. Frigore solaribus radiis moderato, non destructo, laxi coercentur poruli non occluduntur, effrænato sudoris ef- fluxui ponitur obex, ad cerebrum copiosior affluit sanguis spiritus animales ab- undè creaturus, undè virium reparatio, lassitudinis cessatio, concitatur appeti- tus, alacriùs munere fungitur ventriculus, exactiùs cibi concoquantur ac distri- buuntur, placidior sublequitur somnus. Sic quidquid boni manat ex sanguinis spirituumque requisitâ fluiditate balneum in flumine largitur.

I V.

SIMPLICIORA remedia & innoxia magis, fiunt non ritè præparato toxica; sic & balneum. Incautus ergò ne te fluctibus committas, plethorâ non tur- gescant vasa, vena tundatur, saburrâ vacuentur ventriculus & intestina; ma- tutinis horis jejunoque stomacho, vel vespertinis, peractâ alimentorum co- ctione, ante solis occasum, quàm meridiano tempore faustum tibi magis exi- stima balneum per plures iterandum dies. Non fordida stagni vel riparum ti- bi latera premant aquæ, sed fluminis ambitiosè fluentis in medio, arenula- rum granula pedum plantas blandè titillent; si natandi conceditur peritia, nates & exercitiî causâ non ad lassitudinem usque: à balneo recede ubi primùm levis æmior artus occupet, nec te statim cibus ingurgites, nec largiori indulgeas po-

(a) Plutarchus.

tui. Non defunt morbi aquæ frigidæ balneo cedentes. Hujus usum fuadente Antonio Musâ Medico, à gravi morbo convaluit Augustus Imperator de cujus salute desperatum erat. Puellam in flumen mergendo à phrenitide liberavit Willisius. Hæmorrhagiis (a), inflammationibus, erysipelati, arthritidi, artuum tremori, paralyfi, rheumatismo, suffocationi uterinæ, hystericæ passioni, affectioni hypochondriacæ, sterilitati, athmati convulsivo, & aliis nervosi systematis affectibus, balneis medentur Angli frigidis. Exulent ab iis infirmi aut debiles, seniores, infantes, & ii qui frigidâ redundant cacochymiâ, præcùl & qui hæmorrhoidum, menstruorum, lochiorumve evacuationibus suppressis laborant. Non noxia minus balnea frigida in colicis doloribus, hemiplegiâ, ulceribus internis ac externis, licet haud inveteratis prosint tollendis in hepate obstructionibus.


(a) Geoffroy,
Mater. Med.
I. Part. cap. 1.

NON unico deliciarum genere commendatur in flumine balneum, extrâ urbem mirabere Sequanam cum balneandi tempus adest, læti virescunt hic & illic campi, objectorum varietate cymbarumque continuò motarum spectaculo recreantur visionis organa, aperto ac sereno cœlo purus spiratur aer, pulmonum vesiculæ expanduntur facilùs; liberiori respiratione sanguinis circuitui calcar additur, fit indè laudabilior hæmatosis. Variarum exercitationum partes sub se complectitur istud balneum quas pro viribus cuique distribuit. En natant isti, mergunt alii, dum tibi naviculæ placido motu succutitur corpus. Cachinnos ecce movent inordinati nautarum sermões, ibi non injucundus fit tumultus; lætitiã quidquid videas redolet. Arcet à balneo periculi metus? timidorum natandique in arte rudium solamen insiguntur pali; fustium ope artificiosè confecta ac linteis cooperta, pudicitie tutamen, stant undique tentoria. Sed ne longiùs excurrat sermo, artifices, operarios, & cujuscunque conditionis homines è balneo redeuntes observa, quos antea languentes, lassatos, ac solis æstu desiccatos, vidisses, hos alacres, ad laborem promptos, ciborum appetentes reperias, firmâque sanitate gaudentes quos morbus ex anni tempestate oriundus, absque balnei in flumine præsidio propediem invasisset.

Ergo Æstate, sanitatis tutela Balneum in flumine;

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA THURANT, Parisinus;
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1751,
A SEXTA AD MERIDIEM,

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1751.



DEO OPTIMO MAXIMO
VIRGINI DEI-PARÆ,
ET S. LUCÆ MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO.
QUÆSTIO MEDICA.

*Cardinalitiis agitanda Disputationibus, in Antonianis Medicorum
Remensium Scholis, die Jovis 17. Februarii,
horâ octavâ matutina.*

M. HENRICO MACQUART, Professore Scholarum, Præside.

An aded miserè vivit, qui Medicè vivit?



VALETE, Artes Apollinæ, si malum malo additis. Nisi per vos vigeat in corpore sano mens sana, iterum, Artes Apollinæ, valete. Edicto irrevocabili natus inter dolores homo, brevi vivens tempore, quàm multis opprimitur miseris: felicissimus ille est qui minimis urgetur. Vetat Sapiens ne quemquam viventem dixeris beatum. Quid sit felicitas, meritò ambigunt Philosophi; hanc quærunt omnes, assequuntur nulli. Quid sit miseria, si nesciunt, sentiunt omnes: hincarcere nocte dieque Reges Calonesque satagunt æqualiter: Philosophi contempere simulant, at mendaci eorum fastui ne credas. Beatior ille qui tempori

7 ELU OT
203
29